

sophiam) in hujusmodi dubiis afferre, & audire, ut argumentum, vel normam, secundum quam decisio fiat de mente S. Scripturæ hæc est prodigiosissima *μεταβολής απόγνωση*, atque tam indignum Scripturæ, quæm in se improbum, quod ratio sibi ausit istud arrogare. Ut autem hæc difficultas diluatur, in memoriam duntaxat revocanda est distinctio vocis Scripturæ, supra cap. 13. Argum. 1. allata, nempe quod Scriptura vel *materialiter* sumatur, & denotet literas, syllabas, voces, & ex his conflatas orationes, vel *formaliter* & significet sensus, & res istis vocibus, & orationibus expressas, & designatas. Jam verò literas, syllabas, voces, & orationes, quæ Scripturæ nomine, quando de ejus interpretatione sermo est, venire debent, Rationi sanæ, seu philosophiæ subjacere, ipsis nequaquam indignum esse putamus: sunt enim & Ratio recta, & vera Philosophia, ut suprà ostendimus, & nullus sanæ mentis hominum inficias ibit, excellentia & singularia Dona, à Deo humano generi concessa; literæ verò, syllabæ voces, & orationes, nil aliud nisi loquaces soni, aut horum mutæ notæ, quæ ex hominum institutō atque arbitratu conceptus aut res significant, adeoque ne cum istis quidem eximiis Dei muneribus ullò dignitatis gradu comparandæ. Quocircà quoque nec *improbum* est, nec *meritò ullus borreat*, *Scripturæ verborum interpretationem* *sano suo judicio*, *aut rectæ rationi*, *aut veræ Philosophiæ arrogare*. Improbum sanè esset, & meritò quis horreret, si istis ipsa divina eloquia, atque oracula, verbis illis prolata, subjiceret, propriæ quippe menti vim inferret, cum veritas veritati nequaquam subjacere, multò minus opponi possit, sive eam natura dictaverit sive Scriptura revelaverit, cùm ipsum Deum semper autorem habeat, quemadmodum docuimus cap. 5. & 8. Unde etiam consequitur, omnem Scripturæ interpretationem rectæ Rationis, aut veræ Philosophiæ ope adornatam, non nisi Testimonio humano sed Divinō; adeoque allata ex Johanne loca nostræ sententiæ nequaquam officere. Quod adhuc multò minus fit; alterò illò, quod adfertur, nempe, esse *μεταβολής απόγνωση*; jam enim antea contra Balthas. Meisnerum lib. de SS. Trinitate, &c. pag. 84. negavit Slichtingius, *rectam manifestamque rationem esse principium peregrinum, & alienum in rebus divinis; præsertim cùm queritur, an aliquid Scriptura dicat, aut non dicat, ut hic fit*. Nec etiam videmus, cum Ratio, tanquam subjectum & instrumentum, ut multis in locis cap. cit. admittit Hoornbeek, & disciplinæ Philosophiæ, tanquam medium, ut modò Polanum statuere retulimus, Scripturæ interpretandæ adhiberi possint sine *μεταβολής απόγνωση*, cur tam illi, quām his, tanquam normæ, istud munus assignare non liceat, quin desiliatur de genere in genus alterum. Idque magis, si verum sit, quod habet Hoornbeek cap. cit. sect. 1. distinct. 21. nempe quod, *Axiomata universalis & perpetuae veritatis, qualia*